

Georg Mejer   Benedictus Meierus

## **Disputatio IX. Collegii Metaphysici : De Bono**

Rostochii: Myliandrus, 1610

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn72907708X>

Druck   Freier  Zugang



Geo. Meier.  
R. H. phil. 1610.



DISPUTATIO IX.  
COLLEGII METAPHYSICI  
DE

BONO

Quam

AUSPICE CHRISTO

*In alma Rosarum Academia*

PRÆSIDE

M. GEORGIO MEIERO

Duderstad. Sax.

*Defendendam suscipiet*

BENEDICTUS MEJERUS

Gard-Eydoralt.

*Ad diem 28. Septemb. horis matutinis.*

---

ROSTOCHII  
Ex Typographia Stephani Myliandri  
Anno c15 15 CX.

*Viro Nobilissimo, Magnifico, verèq; Sireno.*

DN. HERMANNO HOJERO,  
Illustris. Holsatiæ Principis & Domini Dn. Johannis Adol-  
phi, Præfecto provinciæ Eydorastadensis digniss. meritiss.  
Domino, Mæcenati, Factori & Promotori suo ob-  
servandiss. S. D.

Quemadmodum, Vir Nobiliss. SOL, totius Mundi oculus, ho-  
minis oculos illuminat, ut actus & gressus suos videat: Sic  
quoq; METAPHYSICA, quæ omnium disciplinarum mater, Do-  
mina & regina est, mentis oculos cum docentium, tum discentiû  
illustrat, ut in omnib. Veram melius videant, & facilius inveniãt;  
Falsum contra prudentius vident, & cautiùs damnent. Hæc n. sciẽ-  
tia nob. lissima non tantum propter semetipsam addiscenda, ve-  
rùm etiam propter reliquas, ad quas perfectè cognoscendas utilis  
& perquam necessaria est. Cum primis autem THEOLOGIÆ,  
ut silentio præteream Jurisprudentiam & Medicinam, quæ simi-  
li modo sine hæc non percipiuntur, plurimum utilitatis confert.  
Nam Theologus in Articulis nostræ fidei, ut de persona Christi,  
de prædestinatione, de justificatione & alijs nonnullis cum adver-  
sarijs feliciter congredi, & exactè disputare non potest, si hujus  
sciẽtiæ sit ignarus. Unde enim quæso sciret, quid Unum, quid  
Infinitum, quid Substantia, quid Accidens &c. esset? Quorum ta-  
men omnium terminorum natura & proprietates in hæc sciẽtiã  
solummodo tractantur & explicantur. Hæc cum ita sint, nec me  
quengquam reprehendere posse arbitror, quod huic sciẽtiæ, om-  
nium gubernatrici, operam navem, & Vestra Nobil. hanc di-  
sputationem de BONO Metaphysicam inscribam & consecrem;  
siquidem ego bonarum literarum studijs. hoc tempore maximè  
delector, & Vest. Nobil. eadem semper summo cum studio fove-  
re & promoverè laborat. Idcirco summã, quã par est, animi sum-  
missione rogo, ut Vest. Nobil. hoc meum quæcunq; studium fe-  
renã fronte excipere velit, & me, quo capit, amore & favore pro-  
sequi nunquam desinat. His Vest. Magnif. cum totã familiã pro-  
tectioni Dei omnipotentis commendo. Data Rostochij ex meo  
museo 15. Calend. Octob. anno recuperata salutis 1610.

*V. Nobil. & Magnif.*

*observantiss. Benedictus Mejerus Gard. Eyd. Resp.*



# DE BONO.

## Theorema I.

Bonum varijs modis dicitur.



Erunt rectè sequitur bonum, propterea quod omnis rei alicujus bonitas in veritate fundetur, nihilq; in sua specie bonum dicatur, nisi in eadem verum etiam deprehendatur.

II Est vero primò bonum aliud à *ἀγαθόν*, quod omnib. bonum est, cujusq; abusus existit nullus. Sic virtus à *ἀρετή*; bonū est, quia omnib. reb. exceptā solā virtute abuti possumus: Aliud tñ *ὄν*, cujus essentia bona quidem est, usus vero subinde alius & diversus. Sic bona tñ *ὄν* dicuntur robur corporis, pulchritudo, divitiæ, potentia &c. Atq; hæc quidem sunt, uti est ejus, qui utitur, animus. Qui uti scit rectè, illi bona: qui malè, mala. Rerum namq; præstantissimarum haud rarè solet maximus existere abusus. Deinde Philosophus in Rhetoricis tria proponit honorum genera, quorum primum est eorum, quæ revera, sive confessa bona vocantur, & de quibus homines diversum haud sentiunt, ut sanitas, eruditio, virtus &c. Alterum eorum, quæ dicuntur apparenter bona, sive bona controversa, de quibus omnes idem non sentiunt. Sic è bonis controversis est, voluptatem summum esse hominū bonum. Tertium eorum, quæ sunt in comparatione ad aliud, bona comparata dicta, quæ inter se collata, vel magis vel minus bona esse dicuntur. Sic è bonis comparatis est cum dico: Utrum præset mercaturæ operam dari, an vero literis;

Utrum praestet magistratum electione, an vero successione creari.  
Præterea bonum est vel morale, quod à Scaligero exer 307. sect. 27.  
perfectio actus cum recta ratione definitur. Et est habitus, quia  
est qualitas animæ ad agendum secundum rectam rationem, de  
hoc bono sufficienter Philosophus in Ethicis: vel naturale, quod  
juxta eundem Scaligerum est congruentia quadam natura, ut a-  
qua pisci, pyrausta ignis, quæ homini non conveniunt. Hac itaque  
(infert Scalig.) per gradus quasi quosdam exehitur. Nam quem-  
admodum Entia conveniunt in quapiam natura summa: ita eo  
in ambitu versabitur bonum hoc, verbi gratia, ali, omnibus ani-  
mantibus. Diducitur deinde in inferioribus per varias disjunctio-  
nes: ut, humore simpliciore planta, pisces limo, carne leo, & ejusmo-  
di. Hoc bonum considerationis est Physica: Vel transcendentale,  
quod Scaliger affectum vocat. Entis, quia in sacræ libris scri-  
ptum est: Deus cum fecisset omnia, cognovit esse bona. Non e-  
nim à summo bono potest aliquid non bonum vel fieri, vel conser-  
vari. Sanè ille fecit & facit, & conservat. Hoc bonum omnia ap-  
petunt Entia, non primò, sed quia esse appetunt. Est enim bonum,  
quia Ens, non autem Ens, quia bonum est. Hujus consideratio Me-  
taphysica est propria.

## Theorema II.

Bonitas est perfectio Enti conveniens.

- I. Quamprimum enim res consecuta est suam perfectionem, tam  
primùm dicitur bona. Mensura autem bonitatis est DEUS  
ter Opt. Max. summum bonum, ad quod quo propius Entia infe-  
riora accedunt, eo sunt meliora. Quo enim Ens perfectius, eo  
plus de unitate; plus de veritate; plus quoque de bonitate participat.
- II. In relatione autem naturam boni consistere manifestum  
est. Non vero consistit in relatione eâ, quam habet finis ad cau-  
sam suam, cum quod media etiam, quæ ad finem ducunt, bona di-  
cantur, tum quod non omnis finis revera sit bonus, sed quidam bo-  
nus

mus saltem appareat. Neq; etiam in relatione appetibili, cum quod  
apparens bonum, quod tamen sapius malum est, appetatur: tum  
quod appetibile sit quoddam consequens bonum, non constituens:  
sed in relatione convenientia unius ad aliud, quia convenientia  
illa facit ut bonum appetatur: propterea enim res appetitur,  
quia convenit illi, à quo appetitur.

### Theorema III.

Definitio itaque Aristotelis lib. 7. Eth. c. 1.  
Bonum est quod omnia appetunt, à postero-  
ri est petita.

I. Diximus in precedenti theoremate, appetibile esse quoddam  
consequens bonum, quod verissimum est. Nam dicitur aliquid  
appetibile, quia bonum, non contra, bonum quia appetibile, cum  
appetibilitas à bonitate causetur. Convertitur quidem appetibili-  
tas cum bonitate, ita ut rectè dicam: Omne bonum est appetibile:  
Et contra: Omne appetibile est bonum, quemadmodum propria  
accidentia omnia cum suo subjecto convertuntur: sed tamen bo-  
num concipi potest absq; appetibilitate, perinde ut subjectum con-  
siderari & cognosci potest, non habito respectu ad proprium ejus  
accidens, quod hoc illud non constituat, sed constitutum conse-  
quatur. Quare à posteriori, ab affectione videlicet boni, defini-  
tionem boni à Philosopho traditam, petitam esse manifestum est,  
veram quidem, sed tamen pro investiganda boni natura & essen-  
tia non sufficientem, ideoq; etiam Thomas rectius appetibile per  
bonum, quam bonum per appetibile definiri censet.

II. Circa v. boni hanc definitionem dubium oboritur, an etiam id  
quod revera est bonum suâ naturâ sit appetibile, cum reperian-  
tur, qui malum etiam appetunt, & contra bonum fugiunt & a-  
versantur. Sic sunt, quibus ebrietas est delectamento, temperan-



tia vero odio. Pro dubio hoc tollendo notandum est, quod bonum quatenus bonum, semper sit appetibile, non vero quatenus induit naturam mali: Et malum quatenus malum, semper detestabile, non vero quatenus induit naturam boni. Sic ebrietas, que in se mala est, non appetitur ab hominibus, quatenus est mala, sed quatenus ipsis bona videtur, propter voluptatem adhaerentem: Et temperantiam, qua in se bona est, non avertantur homines, quatenus est bona, sed quatenus ipsis mala videtur, propter voluptatis scilicet absentiam.

III. Quæris quo pacto id, quod bonum est, queat habere rationem mali, & id quod malum, boni. Aio, id quod bonum est, nunquam posse habere rationem mali per se, sed per accidens. Et id quod malum est, nunquam posse habere rationem boni per se, sed per accidens. Sic temperantia nunquam habet rationem mali per se, sed per accidens, respectu videlicet hominis ebriosis: Et ebrietas nunquam habet rationem boni per se, sed per accidens, respectu videlicet ejusdem hominis ebriosis. Absurdum igitur non est, idem posse habere & rationem boni & mali, sed diverso respectu. Hinc nata est distinctio boni in verum & apparens bonum, e quibus illud est, quod revera in se & suâ naturâ bonum est; hoc vero quod in se & suâ naturâ bonum non est, sed alicui bonum videtur.

#### Theorema IV.

Bonum in formali sua ratione includit entitatem.

I. Velenim bonum in formali sua ratione est aliquid, aut nihil. Sed nihil esse bonum quis affirmabit? aliquid igitur sit necessum est. Si aliquid, utiq, Entitatem aliquam includet: aliquid enim, quod est, Entitate simpliciter omni non caret.

II. Ob-

II. *Obijcis: Omne aliquid esse Ens: si itaq; bonum sit aliquid, Ens etiam illud esse necessario sequi: Et si Ens, nullum relinqui discrimen inter Ens & bonum, seu quod idem est inter subjectum & affectionem subjecti, quod tamen absurdum. Sed argumentum hoc facili negotio solvitur, si modo ad illud recurramus, quod aliquoties in superioribus disputationibus dictum est, usum vocis Entis nonnunquam extendi ad omnia ea, quae ad Ens aliquo modo referuntur: nonnunquam ab hac latitudine recedi, & voce Entis denotari sola Entia completa, quae essentiam habent, & operationum sunt principium, quae in significatione affectio Entis ab Ente distinguitur. Hac servata distinctione dicimus, quod bonum sit Ens in lata significatione, quodq; propterea non possit dici subjectum, cum illud Ens sit in angustiori significatione usurpatum. Manet itaq; bonum affectio Entis, licet Ens in lata significatione dicatur.*

### Theorema V.

#### Bono malum opponitur.

*Malum vero istud est non-Ens. Quia enim omne Ens est bonum, & contra, Omne bonum Ens, necessario omne malum erit non-Ens, atq; ita nullum constituetur malum transcendentale. Ut enim bonum cum Ente convertitur: sic malum cum non-Ente. Hinc Scaliger: non habet hac bonitas contrarium, est enim eadem re ipsa cum Entitate exerc. 307. sect. 27. Et verissime. Quod enim non est, qui poterit ei, quod est, contrarie opponi? Quaecumq; igitur argumenta pro asserendo malo adduci possunt, ut quod in natura detur corruptio sive depravatio boni; quod detur privatio; quod detur peccatum: ea omnia partim de malo naturali, partim morali vera sunt, non transcendentali. Errat proinde Timplerus, Ens dividens in bonum & malum: similiter malum in absolutum, quod in se absolute malum sit, & respectivum, quod*  
*respe-*

respectu alterius, lib. 2. Metaph. cap. 9. Bonum enim quia ad-  
aequata Entis est affectio, qui poterit ullum Ens malum esse? Pra-  
terea si daretur Ens malum, nonne infallibiliter sequeretur, DE-  
um mali esse autorem? Si enim verum est, uti verissimum, o-  
mne Ens finitum esse à Deo, verum erit & hoc: Ens illud malum  
esse à Deo, quod tamen dictu impium est, & blasphemum. Et  
quanquam concedi potest, aliquid in se esse bonum, quod respectu  
alterius sit malum, sicuti vinum in se bonum, febricitanti malum  
est: nunquam tamen conceditur dari ullum aliquod Ens, quod in  
se & absolute ratione essentiae suae sit malum. Hac enim ratione  
malum esset positivum transcendentale, & sic non malum, quia o-  
mne positivum transcendentale est bonum.

II. Excipis Timplerum loqui de Ente indefinite, ac sine ulla  
certa limitatione accepto, ut ipse se explicat. lib. 2. Met. cap. 9. q. 14.  
Et Goclenius in glossis ad Metaphysicam Timpleri, Timplerum  
cum Aristotele ita conciliat, quod hic loquatur de Ente absolute  
& simpliciter sumpto: Ille vero de Ente indeterminato. Priori  
modo Ens omne esse bonum: posteriori vero Ens habere ad-  
iunctam vel bonitatem, vel malitiam ut accidens. Verum exce-  
ptio hac est nulla. Nam Ens indeterminatum idem est, quod Ens  
absolute & simpliciter sumptum. Ens absolute & simpliciter  
sumptum est Ens quatenus Ens, universale, in latitudine & am-  
plitudine sua consideratum. Sed nonne & Ens indeterminatum  
est tale Ens? Aut erit Ens indeterminatum Ens universale, aut  
particulare. Si particulare: non ad Metaphysicam, sed ad a-  
liam quandam inferiorem disciplinam pertinebit: si universale,  
nihil aliud erit, quam Ens quatenus Ens, simpliciter & absolute  
à Philosopho usurpatum, quod ut Ens universale in Metaphysi-  
ca proponitur. Quare distinctio illa, quam Goclenius cum  
Timplero fingit, inter Ens indeterminatum, & Ens absolute ac-  
ceptum in sumum abit. Præterea falsum est, Ens determina-  
tum & universale, prout illud considerationis est Metaphysicæ ad-  
iunctam

*unctam habere vel bonitatem, vel malitiam. Malitiam nul-  
lam reperiri in Ente, jam sufficienter probatum est. Bonitatem En-  
ti inesse asserimus, sed inesse tanquam accidens, inspiciamur. Tran-  
scendentia enim non sunt accidentia. Veritatem autem, prout est  
affectio Entis, è numero esse transcendentium quis ignorat? Ad  
nullam certam quandam categoriam affectiones Entis  
destrudi posse, novit is, qui Metaphysicam à limine,  
quod dicitur, salutavit.*



## Corollaria.

I.

*An bonitas sit ipsum Ens? N.*

II.

*An bonitas Enti aliquid super addat? A.*

III.

*An bonum realiter ab Ente differat? N.*

IV.

*An bonum nuda ratione ab Ente diffe-  
rat? N.*

B

An o-

V.

*An omne bonum ab omnibus appetatur? N.*

VI.

*An detur malum transcendentale? N.*

VII.

*An malum morale sit mera privatio? D.*



*Ad Doctissimum Iuvenem*

DN. BENEDICTUM MEJERUM DE BONO IN METAPHYSICIS DISPUTANTEM.



Uid, MEJERE, facis, Themidos quid semina spargis?

Vel cumulas segetū tempore messis opes?

Sic est, ut video! Phœbi lata iugera fulcas,

Ingenij cultos vomere vertis agros!

Rectè sic, MEJERE, facis tibi digna laboris

Messis non deerit, quam Themis alma dabit,

Perge, nec inceptis deliste laboribus, adir

Quod moveo: Existes ditior agricolâ:

Et Pindum, & Celsi conscendet saxa Pelori,

Laus tua & ignotis cognita fiet aquis.

Quid magis exoptas? voveo. Fortuna benignè

Aspiret, dubijs sit tibi promta rotis.

Agricolam terræ, spargens sic semina Phœbi,

Vinces, nam fructus hic modò messe capit:

Ast mage tu felix, crescent tibi semina semper,

Quæ brumæ & messis tempore ferre potes.

*M. Christianus Liebenthal Sold.*

*March. deproperabat.*

ALIUD.

S Cilicet hic verè magnum atque illustre Sophorum,  
Pellustrat vigili strenuitate forum,

Qui

Qui tuum ad exemplar magnum atq; illustre Sophorum  
Pellustrat vigili strenuitate forum.  
Principiò Logico purgabas pectus aceto,  
Prævij Aristotelis dulce secutus iter,  
Quando sub HELTBERGO defensum gnauiter ibas,  
Quas Logici partes constituisse solent.  
Dèin Physicis flores decerpsti jugiter hortis  
Aureolos, laudis maxima puncta merens;  
Cum de textura hac mundi, quæcunque Sophorum  
Aurea scripta docent, discutienda dares,  
Assertumque ires. Animal queis partibus olim  
Ornavit bonitas ipsa, quis ille? Deus;  
Præfide MEJERO, Logici molimine ferri  
Nodosas docto dissecuisse strophas,  
Hinc Meta-nunc Physicos cepsti lustrare recessus  
Philosophi: factò res pater illa tuo.  
Qui Meta-jam Physicum MEJERO præfide gaudes  
Tutari assiduâ sedulitate BONUM.  
Perge ita, Philosophis perge impallefcere chartis,  
Quas plebs fastoso despicit ore rudis.  
Perge, mete egregiam MEJERO præfide messem.  
MEJERE: & tandem messor opimus eris.  
Sic benè dictus eris BENEDICTI nomine: & idem  
Nomine MEJERI sic benè dictus eris.  
Hæc dixisse sat est. Tu quòd tibi pectore fixum est  
Perfice propositi grande laboris onus:  
Aggredere, & felix veri penetralia pande,  
Pandentur famæ templa sacrata tibi:  
Nemala tela BONUM quatiant de ponte potenter  
Contra ito; & magno nomine victor eris.


*Amicitia ergo*

*avbox e Agsi faciebat*

*Philippus Fabricius J.F. Slesvicensis.*







plicitas & perfectio pari passu ambulare  
quia est simplicissimus, perfectissimus qu

### Theorema I

Deus est summè necessa

I. Non potest Deus aliter esse, quam es  
tingens vero si esset, mutari posset: quia con  
tabilitatem involvit. Contingens enim qu  
esse potest. Deus neq. mutari, neq. non e  
καὶ κρείως ἀναγκάσιον τὸ ἀπλῶν ἐστὶ.  
πλεοναχῶς ἔχειν, ὡς ἐδὲ ἀλλῶς καὶ ἀλλ  
ᾶν ἔχοι. Arist. lib. 5. Met. c. 5.

II. Non autem propterea, quòd necess  
riò agit, quia differunt esse necessarium,  
lud enim essentiam respicit: hoc vero ope  
ternas. Nam non necessariò, sed liberè D  
Est itaq. Deus Ens quidem necessarium,

### Theorema 2

Deus est infinitus.

A nullo enim alio dependet, sed omni  
quod dependet, à nullo terminari potest  
pij, quam finis est expers: à nullo igitur  
concludi poterit Deus terminus, cum sit ul  
& in mundo, modo incomprehensibili, à  
nullo tamen inclusus. Nihil est quod ip  
possit. Et quia perfectitudinem summa  
buimus, etiam infinitatem ipsi tribuere no  
nihil aliud est, quam absolutissima perfec  
quicquam propius ad Ens infinitum acce  
vero ab eodem remotius recedit, eò imper

B

Deus itaq.

rius. Con  
nam mu  
, & non  
τὸ πρῶτον  
ἐνδεχεται  
λεοναχῶς

a necessa  
gere: Il  
idem ex  
undum.  
rimum.

illo autem  
m princi  
Et quibus  
mundum,  
lusus, in  
m fugere  
Deo tri  
quippe que  
quòd quò  
tius, quò

Theo-

